

per a S. C. de Propaganda fide auctorisationem seu licentiam quaerunt. Faciunt id vel propterea, quia illud decreto a. 1760 tamquam restrictivum suae potestatis in parochiarum erectione intellexerunt, vel quia, praesertim initio hujus saeculi, omnes conditiones ad parochiam formalem requisitas adesse non aestimabant, propterea facultatem eas etiam non servata juris forma erigendi quaerebant. Hoc ultimum liquet ex rescripto S. Congregationis de Propaganda fide ad episcopum fr. Gregorium Ilijic a. 1801.<sup>174</sup> Quidquid sit, hoc tempore tamen introducta est persuasio apud Vicarios Apostolicos se non posse parochias erigere, quin certiorem facerent S. Congregationem de Propaganda fide.<sup>175</sup> Ab hac regula excipiuntur duo ultimi Vicarii Apostolici, qui tales potestatem virtute decretorum Tridentini Concilii sibi competere testantur.

Alius concurrens in parochiarum erectione et fundatione erat provincia regularis. Ejus enim erat neoërigendas parochias dotare seu fundare ac parocho religioso provide-

---

ut omnino in spiritualibus et temporalibus omnibus dependeant a propriis parochis, eisdemque fideliter omnia deferentes ac eorum jussa in omnibus exequentes: Hoc autem licet de omnibus, tamen specialiter intelligendum est de cappellanis in Koratje, Tremmosniza ac Tollissa. Qui quondam bono equidem fine declarati socii parochorum independentes solum quoad oeconomiam administrationem; quatenus videlicet et jus parochorum illaesum perpetuo conservetur et conventui in temporalibus (eis per id ad aemulacionem excitis) uberioris subveniatur ac fraterna inter eos caritas magis foveatur. Ast cum longa experientia fuerat comprobatum, hos bonos fines penitus elusos ac defraudatos, praesenti decreto eorundem cappellanorum independentia in omnibus abrogatur, tollitur et cassatur». Arch. Provinciae, Prot. Prov. II, 64.

<sup>174</sup> »Se ne accrescerà in appresso qualche altra (parochia) essendosi già ottenuto dal S. Padre ad instanza dello stesso Vicario Apostolico di poter erigere in parrocchie, non servata juris forma, alcune cappelle, affine di meglio provedere alla salute spirituale di molti fedeli, che, attesa la distanza delle parrocchie, rimanevano poco assistiti«. Archivum Prop., Acta, 1800—1, v. 168, f. 285r.

<sup>175</sup> Episcopus Ilijic a. 1799 scribit: »Quemadmodum in hisce missionibus, quae S. Congregationis de Propaganda fide esse censemur, absque ejusdem consensu parochias augere (quod equidem summo honori ac decori provinciae cederet) non audemus, sic multo minus eas diminuere... autumamus«. Arch. Provinciae, Sarajevo, Prot. Prov. II, 72—73.